



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. De discrimine peccatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

uertere, adiutorio tamen diuino. iuuat enim DEVS naturalem libertatem, vt ad bonum se possit conu-
tere: non est ergò Deus causa peccati, sed Diabolus
& hominis voluntas.

3. Discrimen est inter peccatum mortale & venia-
le. Mortale sic dicitur, quòd dignum sit morte æter-
na, quod protinùs dum fit, fugat gratiam Dei, id est,
fauorem ab homine. Et est voluntaria transgressio
legis diuinæ ac præceptorum Dei, dum assentimus
concupiscentiæ carnis, & perpetramus actû, id quod
prohibet Apostolus Romanorum 6. nè regnet con-
cupiscentia carnis, Galat. 5. Manifesta sunt opera
carnis, &c. Et 1. Corinth. 6. Neque molles neque adul-
teri, &c. Ephe. 5. Hoc scitote, quòd nullus fornicator,
auarus, &cæt. hæc ergò peccata sunt quæ priuant re-
gno Dei: ideò dicuntur mortalia. Veniale peccatum,
quod per negligentiam ex humana fragilitate fit, vt
est incauta locutio, risus, &cæt. Matthæi 12. De omni
verbo ocioso &c. Attamen gradum exactissimè con-
stituere inter peccata mortalia & venialia, difficile
est, & cauendum, nè aut pauidi ad desperationem adi-
gamur, aut duriores reddantur securi. Est tamen ali-
quis gradus tenendus.

Fit quoquè omne peccatum mortale etiam venia-
dignum, si quis pœnituerit propter Christum ex mi-
sericordia, quanuis & hoc verum sit, quòd maior
conatus & contritio exigatur pro venia impetran-
da qui mortaliter peccarit, quàm qui venialiter, li-
cèt remissio non fiat propter nostrum conatû & con-
tritionem, sed ex misericordia gratis propter Chri-
stum. Etiam tunc dicitur homo esse in peccato
mortali, quandiù sine pœnitentia viuit in
peccato, vt sunt adulteri, vsurarij,
&c. qui non intendunt ces-

sare,

Caput